

Q. D. B. V.
De
Magia Naturali.

DISQVISITIO PHYSICA,

Quam

In illustri VVittenberga

PRÆSIDE

M. JOHANNES VVERGER,

Lubec.

publicæ ventilationi sistit.

HENRICUS MOLTZAN, Lubec:

Anno 1657. d. 30. Sept. In auditorio minori.

Horis antemeridianis.

LITERIS JOH. HAKEN.

Hist. nat.

A.
520, 10.

REGER

ITa comparatum est, ut, quò quid præstantia
 us & jucundius, eò plures inveniatur osiores & iniquos æsti-
 matores. Quæ disciplina majori svavitare undiquaque
 est perfusa, quam Physica? nihilo secius tamen à multis
 titivillitii loco habetur, imò risui exponitur. Luxit ante
 annos benè multos Physica vanissima hæc hominum judicia;
 luget & adhuc dum, lacrymisq; profequitur calidissimis gra-
 vissimam hanc injuriam. Qui de mirâ ejus jucunditate du-
 bitat, vel ex præsentis de magia materia talem persentiscet, quæ
 extemplo fluctuantem animû sistere tranquillû possit. Magiæ
 ope exactissimam totius mundi acquirimus cognitionem. Ex
 diligentiori cæli contemplatione arcana multa investigamus.
 Prædicuntur Ecclipses solares juxta atque lunares, quæ prædi-
 ctio effecit, ut Terræ Novæ inhabitatores Hispanos, Ecclipsin
 prænuntiantes Deos esse certò certius crediderint. Prædicun-
 tur imbres & pluvia, quemadmodum *Plinius* memorat de A-
 naxagora, qui ob prædictam in maximâ siccitate & ardentis-
 simo æstu pluviam in censum Deorum gentilium relatus fuit.
 Neque minora & pauciora indagamus arcana ex attentiori a-
 nimalium inspectione. Unicum exemplum, lectu dignum, &
 è sacris depromptum adduxisse sufficiat. i. Maccab. 6, 34. Ubi
 filius Antiochi elephantos jussit vino rubro & succo ex moris
 expresso adspergi, eum in finem, ut ad iram quasi provocati
 fortius in hostem irruerent, nullamq; vim hostilem metue-
 rent. Noverat certè penitus Rex harum bestiarum delitescē-
 tem naturam, quæ cognitio nil nisi ipsa magia erat. Plura,
 quæ jucunditatem nobis mirificè conciliare queant, in ante-
 logio non addemus, præsertim cum ex his illa evidentissimè
 perspiciatur. Deplorandum autem, tale hominum genus
 deprehendi, qui odiosis dictarijs nobilissimam rerum natura-
 lium scientiam profsequi amant, in eaque nihil proponi asserunt
 præter generalissimas illas speculationes, nempe de *principio*
is, de materia prima, de privatione & quæ reliqua ejusdem fari-

næ esse solent. Suam autem ipsimet tales homunciones produnt
in scitiam ingeniiq; ruditatem, atq; manifestissimo exemplo
demonstrant, se ne per transennam quidem inspexisse, & labris
primoribus res physicas degustasse. Uno verbo. Faciunt næ
intelligendo, ut nihil intelligant. Hæc quoq; nos moti jucun-
dissimâ suavitate & suavissimâ jucunditate ingenium exercere
viresq; explorare circa præsentem doctrinam animum indu-
ximus, ea quæ ex delitescentibus rerum naturalium viribus
sciri & naturæ adminiculo effecta dari queunt, magiæ natura-
li vindicaturi, ea verò, quæ ope Satanica producuntur, spha-
ramq; activitatis humanæ longè transcendunt, à magiâ licita
remoturi, Tu, sanctissimum Numen, profliga ex voto præ-
sentes nostros conatus, ut quam nobis proposuimus, metam
assequi valeamus.

THE S. I.

Magia naturalis verè datur.

§. 1. Sunt, qui autumant, ipsum nomen Magiæ diabolici
quid involvere, neq; ullo modo ex libro naturæ talem habi-
tum posse acquiri. Hinc eos, qui ex prævisis rerum naturali-
um causis prædicunt futura, quiq; magicæ artis ope opera
admiranda producunt, rude & imperitum vulgus veneficos &
nigromantas proclamat: Sit in hæc sententia vulgus, sapien-
tes tamen aliter judicare norunt. Hi, quæ vi Satanicâ pera-
guntur, discernere valent à naturalibus. Et sanè facilè hanc
magiam licitam probant occultæ cum manifestis altius per-
spectæ qualitates, partim stupenda hominum opera, ex soli-
us naturæ vi producta. Hinc Magia hæc ab *Exc. Sperl.* de-
scribitur per habitum è libro naturæ acquisitum. Provocant
nonnulli ad sacram paginam, ubi per vocem magiæ res divi-
nitus prohibitæ artesq; illicitæ semper indigitantur. Nos
dicimus, intelligendam esse iis in locis magiam dæmoniacâ.
Sic Act. 8. mentio fit Simonis Magi & Act. 13. Elymæ magi, ut
& Exod. 7. Magorum-Ægyptiorum, qui omnes omni procul
dubio impiam illam divinandi scientiam profitebantur, quiq;
auxiliis diabolicis mirandos istos effectus in lucem profere-
bant.

bant. Neq; insuper negari potest, Magos illos, de quibus Matth. 2. agitur, fuisse acutissimos Philosophos, non enim opprobrii sed honoris ergo ab Evangelistâ Magi appellantur. Imò si divina librorum monumenta consulamus, apertissima ibi extant & ante & post primi hominis lapsum hujus Magiæ testimonia, ut ut ratione diversi hujus status diversa Magiæ ratio fuerit. Nam in Adamo adhuc integro locum habuit, tanquam habitus *ἑμφορῶν*, cōcreatus, in jam lapso tanquam habitus *ἐπίκτητων*, ubi Adamus herbarum plantarumq; vires diligentius explorando, arboresque & *ἐμφορτεία* & *ἐνοφθαλμιζμῶν* tractando exactam rerum naturalium notitiam sibi comparare poterat. De Salomone quid dubitamus? Locutus est de plantis, à cedro que in Libano est, usq; ad muscum, qui prodit è pariete, de jumentis, de volucris, de reptilibus, de piscibus. Imò de seipso perhibet testimoniū, se cognovisse solstiorum mutationes, tempestatumq; varietates, naturas animantium, differentias plantarum, radicumq; facultates, quæ sanè *γνώσις* nihil aliud fuit, quam ipsissima Magia, cum teste Dn. Sperling. *instit. phys. Magia sit mundi totius exactior cognitio; ubi ex cælorum, stellarum, elementorum, effluviarum, mineralium, plantarum & animalium naturis & viribus delitescentibus investigantur & indagantur arcana.* Patriarcham Jacobū in rebus Magicis exercitatissimum virum salutamus, noverat enim phantasiæ admirandas vires; hinc varii coloris baculos oculis hædorum objiciebat, quando concipere debebant, ex quo factum, ut ingentem ovium numerum, maximumq; sibi thesaurum compararet. Gen. 30. quæ virium *φαντασίας* notitia Magiæ species est, uti postea videbimus.

§. 2. Exempla profana maximo numero produci possunt, quæ vel ad nauseam hanc magiam naturalem demonstrare valent. Cumq; hinc inde in Philosophorum scriptis occurrant, non adeò in allegandis iis desudabimus, quin potius unum atq; alterum adduxisse sufficiat. De Democrito literarum monumentis consignatum est, ipsum adeò arcanis magicis imbutum fuisse, ut olei penuriam & caritatem præviderit, quam etiam ob causam omne oleum in toto isto tractu cæ-

mendū, curavit, ex quo postea questū fecit maximū pretiumq; inde
redundans avaris reddidit Dominis, in proclivi sibi esse demon-
strans, conquirere magnam pecuniæ vim. De Persarum Rege Cy-
ro memorat *Herodotus l. 1.* ipsum occultarum qualitatū natu-
ram adeò exploratam habuisse, ut ope hujus notitiæ victrices ali-
quando manus reduxerit ex prælio: naturalis namq; ἀντιπαθεία
quæ aliàs est inter Camelos & equos, ipsi non in cognita erat, quã-
obrem, Cræso, maximam militum copiam contra ipsum educen-
te, camelos in frontispicio collocavit, quorum odorem cum
equi hostium perciperent, omni rejectà morâ sese averterunt, ses-
soresq; suos in fugam secum abripuerunt. Hæc exempla ad ma-
giam theoreticam spectant, quæ est rerum obscurarum & abditarum
scientia. Seges quoque amplissima illorum exemplorum
occurrit in Scriptis Historicorum, quæ ad practicam referenda
sunt, ubi rerum occultarum exactissima illa cognitio ad praxin
dirigitur. Masculè hic sese humana exercet industria, *ut verba
Sperling j me a faciam.* Hæc enim illa Helena est de quâ certant
docti pariter & indocti. *Alstedius l. 4. encyclop. c. 8.* miram refert
historiam de Aquilâ Norinbergensium à Johanne Regiomonta-
no, magicarum actionum peritissimo viro fabrefactâ, nempe
hanc Imperatori Maximiliano, urbi jam vicino obviam proces-
sisse, eumq; ad urbis usq; portam fuisse comitatam. Quod factū
quoq; dubitantem aliquem de lignea volatili columba Architæ
Trarentini certum reddere potest. Archimedes legimus machi-
nam quandam extruxisse, quâ trimeres hostium invadere, tantã-
que edere stragem potuit, ut hostes cum Diis se bellum gerere di-
xerint. Sed quid antiqua & vetusta rerum monumenta eruiere ju-
vat? Aspice, quæso illos, qui diligentem navant operam Mathe-
si, ubi sæpius beneficio Astronomiæ, Opticæ, Geometriæ admirã-
dos proferunt effectus. Cælum ipsum, in terram evocare videntur,
dum tonitrua & fulgura excitant, alij cometas in suis mu-
seis produxerunt, alij Sphæras excogitarunt, rapidissimum stel-
larum cursum, temporumq; vicissitudines repræsentantes. Hæc
est natura ingenij humani, ut nequeat intra suos consistere ter-
minos, quin potiùs sublimiora tentet! Ad hanc magiam natura-
lem imprimus spectant tria illa inventa, quibus tota antiquitas
nihil

nihil unquam par habuit. Typographia, bombardarum inventio, & pyxis nautica. De quibus videatur *Polydorus Vergilius*.

THES. II.

Magia est habitus, rerum abditatum scientiâ, operumque admirandorum arte constans.

§. I. Antequam definitionem realem exactius pensitemus, primordia vocis Magiæ sunt inquirenda. Felicius enim in re proponenda versari possumus, si eam à primo, quod dicitur, ovo ordiamur juxta tritissimum illud: *πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν πρῶτον δεῖ εἰεταῖζειν τὰ ὀνόματα*. Flacius *Illyricus part. 1. Clav. script.* non incommodam judicat esse vocis hujus derivationem, ab Hebræo *מגיד*, resolvere, quemadmodum Græci rerum explicationes appellitât *ἀναλύσεις*. Quæ enim discipulis ob ingenij teneritudinem & imbecillitatem intricatiora & obscuriora videntur, ea Doctor additâ suâ explicatione resolvit, animosque eorum dubijs implicatos erudit. Neque tamen negat Flacius, quin apud Persas & Babylonios ij, qui exactissimâ rerum philosophicarum scientiâ instructi erant, vocati fuerint Magi, in ejus rei testimonium Strabonem, Plutarchum, Justinum aliosque citat: Nos non operosi admodum erimus in conciliandis variis variarum Auctorum sententiis, de vocabuli hujus primis natalibus, sed negotium hoc Grammaticis devolvimus: potius nos quoque suffragio communi suffragamur, juxta quod apud Persas suam traxit originem. Persis enim dicebatur Magi, qui sacris publicis præerant, quique studiis veræ philosophiæ operam navabant, uti testatur *Peuceirus in l. de gen. divinat.* Ipse Romanæ Eloquentiæ Parens *lib. 1. de devinat.* de Magis refert, fuisse illos genus doctorum & sapientum in Persia. Hinc factum ut postea gens Romana nomen hoc mutuata à Persis, viros excellentis ingenij, & eductam eruditionis Magos dixerit. Postmodum autem Magiæ tanquam honestissimæ & illibatæ matronæ stuprum illatum est à petulcis quibusdam naturæ contemptoribus, qui fundamentis naturæ susque deque habitis, diabolicis sese emancipaverant instillationibus, atque ope dæmonis summum

sapi-

sapientiae fastigium conscenderant, scientiaq; paulatim degenera-
runt ad curiosas, atq; adeo etiam ad superstitiosas & impias sci-
entias, quarum professores nihilominus tamen sese honorifico
hoc titulo ornaverunt, ex quo factum, ut qui incantandi notitia
pollebant, & commercio Satanico fruebantur, Magi dicerentur.
Hodie Magia est vocabulum *μείσιον*, quemadmodum alias vox ge-
nij in utramq; partem usurpari consuevit. Hinc certi *μεσοδορισ-*
μοι adjiciuntur, quod sit vel licita & naturalis, vel illicita & Dia-
bolica.

§. 2. Æquivocatio quoq; occurrit circa Magiam, qua evoluta,
qua spectant ad statum controversiae, rectius cernimus. Usurpa-
tur vel *pro rustica quadam divinatione, seu populari augurio*, quod
in rusticis & rei agrariae operam navantibus saepius deprehendi-
mus, qui non sollicitè rerum causas indagantes experientiae suam
adhibent fidem. Sic de duodecim mensium constitutione conji-
ciunt ex temperie & qualitate duodecim noctium, Natalitia
Christi proximè insequentium. Sic quoque autumant, terram
proventu lato, & fecundo nos beaturam esse, si dies Pauli sudus
atq; serenus fuerit. *Vel pro revelatione θεοπνεύσιω* qua sancti DEI
homines divino Spiritu afflatu percussi, futurorum quoq; noti-
tiam habuerunt, de iisq; infallibilia oracula ediderunt. Ad hanc
referimus somniorum interpretamenta Josephi, quando Regis
Ægyptiaci pincernæ & pistori statum & conditionem eorum fu-
turam praedixit Gen. 40. Eandem quoq; professus Magiam Da-
niel: Sed de his personant Scholæ Theologicae, quamobrem illa à
nostra Andromache potius amovemus. *Vel pro privatione habitus*,
quem tentat spiritus immundus in sagis ac veneficis supplere, quæ
magia alias illicita & daemoniaca appellatur, de qua postea dicen-
di locus erit. *Vel deniq; pro habitu, qui ex diligenti rerum scrutinio
crebris comparatur actionibus, ita tamen, ut natura limites nullo mo-
do excedat*: eam namq; ob causam naturalem illam salutamus:
Quam postremam magiae acceptionem nos hic impraesentiarum
attendimus, quod quoque nobis ad vivum praecedenti thesi pate-
scere potest.

§. 3. Synonymiam paucissimis expeditam dabimus. Græci eam
expresserunt quondam per *σοφίαν, φιλοσοφίαν*. Cujus rei eviden-
tissimum

riſſimum perhibet teſtimonium ipſe Megalander, quando ſcribit: *Qui apud Perſas Magia, apud Græcos Philoſophiæ dicebantur cultores.* Hinc factum, ut, quos nos hodiè ob exquisitam rerum abditarum cognitionem Philoſophi nomine inſignimus, à Chaldæis & Perſis Magi, ab Indis Brachmannes, à Gallis Druidæ, à Judæis Cabaliſtæ, à Græcis σοφοὶ dicti fuerint. Quod autem Philoſophi nomen, non σοφῶν amplius vigeat, modetiâ Pythagoræ factum fuit, qui interrogatus coram Rege Samio quis eſſet: Sapientiæ amatorem retulit.

§. 4. Evolutis, quæ ad ὀνοματολογίαν ſpectari videbantur, ipſa πραγματολογία deſpicienda erit. Ubi notamus, minus rectè per ſcientiam deſiniri magiam, quem errorem admittit *Johannes Baptiſta Porta*, ſtrictius enim hoc modo prædicaretur de latiori, quod abſurdum. Ob eandem quoque rationem erroris meritò arguitur Apulejus, qui artem loco generis magiæ ſubſtituit, quâdo per artem Diis immortalibus acceptam illam deſcribit, ut *Paracelſus libro, quem Labyrinthum medicorum inſcripſit*, qui Magiam eſſe artem per ſe occultiſſimam aſſerit, cum tamen hoc pacto magia theoretica excluderetur. Rectiorem nos ingrediemur viâ deſinientes illam cum *Excell. Dn. Sperlingio inſtit. ph. l. 2. cap. 4.* per habitum, non quidem ſimplicem, ſed compoſitum & mixtū, partim ex θεωρία, partim ex ποιήσθαι, quam denominationem deſumimus ex naturâ objecti, quæ talis eſt, ut non tantum cauſæ rerum indagentur, ſed & amirandi effectus luci ſiſtantur. Hinc porrò ex objecto fluit differentia, Ea enim conditio habituum, ut differentia per propria conſtituatur objecta, à quibus eſſe ſpecificum & determinatum habituum dependet. Finis tandem etiam in exhibitâ deſinitione inſinuatur, nempe proximus, qui eſt rerū naturalium earundemque cauſarum ſcientia. Ex quibus ὀφθαλμοφανές patet, deſinitionem datam complecti genus, objectum & finem, quæ requirit *Keckermannus Syſt. Log. cap. 4.* in themate qualitatis deſiniendo.

THE S. III.

Magia naturalis certas habet ſpecies.

§. 1. Multa ſententiarum divortia hic reperiri licet, dum illi in
B enu-

enumerandis speciebus in illas, hi in has distrahuntur partes. Quidam ingentem harum specierum exhibent catalogum. Theophrastus Paracelsus sex constituit. 1. *interpretationem signorum preternaturalium*. 2. *μεταμόρφωσιν corporum*. 3. *speciem characteralem*, quando verbis & characteribus vis medendi adscribitur, 4. *quando imagines & sculpturae praestant id, quod alias composita instrumenta faciunt*. 5. *alteram in alteram* (ut vocat) quando quicquid infligitur imaginibus, ii id patiuntur, quorum sunt imagines & cerae. 6. *cabalisticam*, quando admiranda, imò *δύματα* verbis & figuris tribuuntur, nempe ut aliquis vocem alterius, & mentem queat audire & percipere, etiamsi alter in remotissimis locis degat, Nos nostrum calculum his speciebus adjicere non possumus. Si sunt species Magiae, erunt Magiae diabolicæ & illicitæ, quæ certè non confundendæ cū naturalis Magiae speciebus. Neque operæ pretium esse existimo, ut harum falsitatem prolixius demonstrarem: quilibet novit, naturæ cum his præstigijs & Diabolicis rebus nihil intercedere commercii. Et quamvis alias variæ recensentur nostræ Magiæ species, quas omnes hic apponere chartæ penuria prohibet, trium tamen tantum mentionem injiciemus, quæ firmissimis suis nituntur fundamentis, quæque non adeò facile à quopiam in dubium vocabuntur. *Prima* erit consensus & dissensus notitia, *Secunda*, virium Phantasiæ cognitio, *Tertia* ex somniis divinatio.

Συμπάθεια ἢ ἀντιπάθεια.

§. 2. Ad primam classem referimus *συμπάθειαν* & *ἀντιπάθειαν* vel raptum similitum & dissimilium, ubi unum vel naturali quadam amicitia, vel inimicitia prosequitur alterum, qui raptus qualitates occultas tanquam fundamentum præsupponit, Neque existimandum, esse ignorantiae aliquod mantellum occultas qualitates, cum etiam in maximo momenti controversiis ad easdem recurramus, tanquam ad salutare occultæ proprietatis asylum, uti appellatur à Scaligero *Exer.* 344. Ad harum qualitatatum doctrinam referimus vim atque potentiam in magnete, quâ ferrum procul disitum ad se allicit, & quâ ad ipsos quoque polos se convertit. Consensus & har-

harmonia hinc valet, quam sublunaria cum cœlestibus habent,
 Alii quidem in ursam cœlestem causam rejiciunt, ut Marsili-
 us, sed magnes sapius variatione & declinatione quadam ab
 ursâ recedit, ut fugere eam magis, quam sequi præ se ferat.
 Notatu dignissima potius est ratio, quam *Henricus Nicolai in*
disquisitione magnetica pag. 5. affert, nempe rectius causam cõ-
 jici in intimum magnetis spiritum, & ex eo amicum cum fer-
 ro à naturâ & convenientiis ejus consensum: *Magnes enim,*
inquit, totus quasi ferrimatrix est, & lapis quasi ferreus, aut ferru
lapideum, venæq; ferri ac magnetis subterraneæ sunt communes,
indeq; in omnibus profundioribus terræ venis ferme magnes, ma-
iorq; terreni orbis portio fibris magneticis passim intertexta est. De
 consensu chordarum in testudine res mira, imò visu admodû
 jucunda est. Intende enim chelyn, & exiguam straminis aut
 pennæ particulam chordæ cuidam impone, pulsa quoq; chor-
 dam alteram, quæ in altero ejusdem testudinis est choro,
 quæq; eundem cum illâ chorda, cui portiuncula illa imposi-
 ta est, sonum habet, & certò certius deprehendes, injectam il-
 lam straminis particulam incipere moveri, huc illucq; ob-
 errare, nonnunquam etiam de loco suo deturbari, quod non
 fit, cum reliquæ chordæ, quæ non eundem cum hâc edunt so-
 num, tanguntur. Ejusdem farinae sunt, cum vetera vina in
 doliis effervescent, & æstuant quasi ob spirituum copiam, cû
 gemmæ in vitibus sunt conspicuæ; cum ursinus adeps pyxidî
 inclusus mirum quantum augetur, ursis dormientibus; cum
 matres lactantes dolorem in mammis sentiunt, quando infan-
 tes alio in loco ob lactis defectum & penuriam lacrymas fun-
 dunt, cum sol terram calefacit, societatem enim cœlum cum
 terrâ alit arctissimam, & radii solares magnam habent con-
 venientiam cum atomis igneis, quas hinc inde per terram di-
 sperfas magno numero extrahunt, cum ad lunæ motum fluxus
 & influxus maris sese dirigit, quam humorum Dominam me-
 ritò salutamus. Similia omnia in amplexus coeunt, dissimilia
 societate declinant. Ad has qualitates referenda quoq; illa
 censemus, quando boves in loco illo, in quo bos fuit macta-
 tus, consistunt, inque rabiem quasi prolapsi sapius multas ci-

ent turbas. Deprehendunt enim effluvia ex animalium corporibus egressa & adhuc ibi hærentia, quibus adeò truculentiredduntur: quando nitrum odio hostili sulphur prosequitur, adeò, ut sæpius maximus excitetur fragor, quod experimur in tormentis bellicis & fulminibus. quando pulli gallinaei recens exclusi milvum procul adhuc fugientem immane quantum horrent, fugâque sibi consulentes præsidium matris poscunt, cum tamen aliàs nec ingentis magnitudinis equos, aliâque animalia formidare soleant: quando quidam instinctu quodam naturali ab esu casei, butyri, nucum acuminatarum abhorrent. Sic Josephus Scaliger exerc. 344. sect. 6. quendam commemorat, se audita phorminge sive citharâ, urinam non potuisse continere (sit venia dicto:) Imò Exerc. 153. de se ipso suisque affirmat. *Unus è meis liberis brassicam abominatur, Ego cressonibus duntaxat visis horrore perfundor. Hoc peculiare suum cuiq; quiddam est.*

VIRES PHANTASIÆ.

§. 3. Secundam classem constituit virium phantasiæ accurata cognitio. Latissimus hic sese quidem dicendi campus aperit, divagari tamen non libet, neque enim angustia nostrarum pagellarum amplissimas phantasiæ divitias caperet, quædam pro ingenij nostro modulo prælibasse sufficiat. Ante omnia, quid sit phantasia, sedulo tenendum. *Estq; sensus internus, species à sensu communi ad se delatas diutius retinens, diligentius examinans, novasq; inde eliciens. Instit. Phys. lib. 8. Excell. Sperl:* Vires ejus admirandæ sunt, has non nunquam in proprio, non nunquam in alieno exserit corpore. *In proprio.* Sic qui vident alios fructus comedere acidos, horrore quasi perfunduntur: qui de cibis delicatioribus cogitant, salivam in ore persentiscunt: qui cernunt oscitantes & brachia extendentes alios, ipsi oscitant, & brachia extendunt. In quibusdam imaginationis vires tantæ fuere, ut ridiculis symptomatibus se laborasse putaverint. Quidam cornua in capite se gestare persuasissimum habuit, hinc ridiculam medelam medici quoq; adhibuerunt. capiti hominis cervi cornua alliganda curarunt, quæ postea resecta & abscissa fuere, quibus ægroto ostensis, pristinam animi

mi

mi sanitatem facillimè recuperavit. Alius se granum tritici esse firmissimè sibi imaginabatur, hinc viperino pejus dente fugiebat gallos gallinaceos, ne ipsis fieret pabulum. *In alieno.* Sic tenerrima fetus, utero materno inclusi, membra sæpius mirum in modum distorquentur, ut non sine consternatione conspici possint. Aliquot exempla recensuit ipse *Celeberrimus Senner-tus de Cons. & diff. Chym.* Novi inquit fæminam quæ cum vidisset à lanione caput suillum securi dividi, filium genuit, cui tota superior palati pars cum maxillo superiore & labio ad nares usq; divisa erat. Et de alia memorat. Memini, mulierem quandam, cum sub moro versaretur, & mora plura in ipsam deciderent, filium genuisse, qui in iis corporis partibus, in quas in matre mora deciderant, verrucas instar mororum habuit. Qui plura desiderat exempla, consulat *Exc. Sperl. aureū tract. de form. hom. in ut. c. 5. pag. 102 103. seq.* Modum quod attinet, verbis quam potest fieri brevissimis eum attingemus. Non perse & directè phantasia nunc proprium nunc alienum mutat corpus; Phantasiæ enim officium est, non mutare corpora, sed cognoscere. Id luculentissimè constat ex ægrotis; ut ut enim illi cognoscant suum morbum & pravã corporis dispositionem, sæpiusq; de eo cogitent, non tamen statim accidit illa immutatio, ut pristinis corporis viribus restituantur. Fit ergò per accidens & indirectè, quatenus facultas cognoscens cum alijs facultatibus conjungitur. Facultatem cognoscentem sequitur appetens, appetentem loco-movens, loco-movètem mutationes istæ admirandæ, hæc n. loco-motiva excitat spiritus & humores, qui pro suo accessu & recessu mutant partes corporis. Res autem aliter se habet in determinatis effectibus, quando certa & peculiaris signatura efficitur, ubi recurrendum ad vim formatricem, quæ à phantasiâ dirigi potest, ut benè & malè formet. Ita *noster Sperlingius: Res omnis in specierum communicatione consistit. Eo ordine, ut species phantasiâ perceptæ spiritibus & sanguini fetus imprimantur, & ibi instar exemplaris formatricem ad hoc & non aliud formandum dirigant & disponant.*

DIVINATIO EX SOMNIIS.

§. 4. Ad tertiam classem accessum facimus, quæ est *ὄνειροναν-τσία*. Jure summo hanc somniorum interpretationem referimus

ad Magiam naturalem, cognoscimus enim hic intimos hominis recessus, & acquirimus exactam temperamenti humani affectuum, humorum notitiam. Solent autem hic quidam in excessu, quidam in defectu peccare, dum illi omnibus insomniis fidem adhibent, hi, dum omnium somniorum significationem in totum rejiciunt, uti Epicurus, Metrodorus, Xenophanes, Colophonius & alii. Nos, ut mentem nostram rectius explicemus, distinguendas esse censemus distinctas illas somniorum species, quarum tres in vulgus exhibentur. Ad primam spectant *somnia divina*, quæ sunt vel θεωρηματικὰ. Sic Josephus in somniis divinitus fuit certior factus de Mariæ conceptione, ex adumbratione Spiritus Sancti facta. vel ἀλληγορικὰ, qualia adolescenti Josepho, Nabuchodonosori contigerunt. Hæc cum vires intellectus nostri longè superent, rationem interpretandi ea soli Deo attribuimus, potiusque à præsentis foro removemus. Secunda somniorum species consistit in *somniis demoniacis*, quando μνεωτεχνίτης ille phantasiâ hominis variis modis comovet, eumque ad res Venereas, omnisque generis flagitia perpetranda allicit & instigat. Talia fuerunt somnia Enthusiatarum & Anabaptistarum, aliorumque hæreticorum. Et hæc, quia nihil cum naturâ commercii habent, nostræ non sunt διακρίσεως. Ad tertiam denique speciem referimus *somnia physica sive naturalia*, quæ magis & minus præfaga solent esse, prout causam vel propinquiorem vel remotiorem habent. Et de his nos hoc in loco disquirimus, an ex iis liceat divinare vel conjicere, quod omni asseveratione affirmamus. Sunt autem duplicis potissimum generis talia: somnia φυσικὰ, alia sunt animalia, alia naturalia in specie. Animalia sunt, quæ phantasia (hæc enim est causa efficiens somnii) ex relictis ideis & imaginibus, quas interdum concepit, format, quæ plerumque sunt ἀσήματα, id est, non debet de iis interpretatio quædam institui, ideoque sunt deliria, & ridiculæ phantasiæ tantum effectus. Labet apponere versus Claudiani.

*Omnia que sensu voluntur vota diurno
Tempore nocturno reddit amica quies.*

Vena

*Venator defessa toro cum membra reponit,
Mens tamen ad sylvas & sua lustra redit.*

*Judicibus lites, auriga somnia currus
Vanaq; nocturnis meta cavetur equis.*

Naturalia in specie ita dicta sunt, quæ suam trahunt originem ex aliâ atque aliâ corporis temperie & dispositione. Ex iis itaq; conjicere possumus de variis hominum temperamentis, affectibus, humoribus, aliisq; in corpore latentibus: Hinc pleraq; *σημαντικά* esse solent. Sic quibus contingunt insomnia, de rebus lætioribus & jucundioribus, de conviviis, choreis, saltationibus, in iis sanguinem abundare divinamus, hosq; sanguinei temperamenti participes esse conjicimus. Quibus autem objiciuntur somnia de contentionibus, de præliis, in iis prædominari flavæ bilis acridinem concludimus, hosq; cholericæ naturæ esse statuimus. Sic, quibus obversantur somnia de aquis, submersionibus, natationibus, piscationibus, balneis, pluviis, in iis copiam pituitæ maximam esse, & phlegmaticæ constitutionis eos esse hariolamur. Quibus deniq; somnia obtingunt de rebus tristibus & formidolosis, de variis periculis & mille casibus, de capitis amputatione, de homicidijs, de tenebris, diabolo, morte, inferno, & de alijs quæ omnia nostra chartæ angustia complecti non potest, hos atrâ bile laborare maximè, & melancholicæ naturæ istos esse judicamus. Atque hæc somnia non adeo in postremis sunt habenda, ex eorum namq; præsentia exactam corporis humani cognitionem acquirere, inque τὸ γινῶσι σεαυτὸν feliciter penetrare valemus; Ita D. Balduinus in *Cas. Conf.* l. 3. cap. 6. Vel omnibus, vel nullis fidem adhibere insomnijs, ejusdem vanitatis est.

QVÆSTIO.

An detur magiæ & chymicæ artis beneficio
vera metallorū μεταλλάττωσις sive trans-
mutatio? A.

Noverunt hoc Chymici, cuprum sæpius hanc subire mutatio-
nem. Neq; tamen promiscuè quodlibet cuprum, sed quod formã
auri complectitur. Experientia itaq; testis erit, cui meritò nos
nostram

nostram adhibemus fidem. Quærerere enim rationes, & dimittere sensus in ijs, quæ manifesta sunt, infirmitas quædam mentis est, ut inquit *Arist. l. 8. phys.* Avicenna, Thomas, Eraustus, aliiq; nōnulli adduci neutiquam possunt, ut credant hanc metallorum μεταλλάττωσιν, quorum tamen fundamenta diu fuerunt à Viris clarissimis refutata. Noverunt Chymici, artis industriâ tincturam quandam præparari, tantæ virtutis & vigoris, ut metalla ignobiliora, ut cuprum, ferrum, stannum prius defæcata in verum convertat aurum, quam tincturam appellitare solent lapidem philosophicum. *Ipsè Celeberrimus Sennertus de Cons. & diss. cap. 2.* Specimina talia verissima fuisse pronunciat. Apponam verba. *Ut de Antiquioribus, Arnolde de Villa Nova, Raymundo, Lullio & alijs nihil dicam, talia specimina nostrum & patrū memoriâ aliquot edita sunt, ut pertinacis sit, experientie tam certæ refragari.* Ipsa quoque natura sæpius id præstitit, quod beneficio artis magicæ & chymicæ quidam præstiterunt: hæc enim nos quasi manu apprehensos deducit ad aquas, in quas ferrum coniectum conversum fuit in optimum cuprum, quemadmodum *Bartholinus* refert de aquis in Ungaria apud Smolnicenses. Sunt, qui ipsimet experientiæ bellū indicere audent ob levisimas ratiunculas, quas profèrunt; nempe ἀδύνατον esse asserunt, ut forma hujus metalli transeat in formam alterius. At isti produnt suam ignorantiam, seque modum hujus transmutationis non exactè callere apertè testantur. Nos dicimus non esse hîc essentialem aliquam conversionem nec ratione materiæ, nec ratione formæ. Materia enim metallorum proxima juxta effatum *Celeberr. nostri Sperlingij in instit. Phys.* una eademq; est, in alijs atq; alijs tamen nobilior deprehenditur, prout sulphur hoc vel illo modo excoquitur. *At dicis: Si datur materiæ identitas, quomodo in metallis specifica differentia locum obtinebit?* Respondemus, substantiam materiæ eandem esse, sed dispositionem aliam atq; aliam. Sic materia stellarum una eademq; est, lux scilicet primigenia, nihilo fecius tamen Saturnus differt à Jove, Mercurius à Venere, Sol à Luna, quam differentiam adjudicamus formarum diversitati diversæq; dispositioni materiæ.

AMICE,

AMICE, dum scandis cathedram publicam
Felice gressu, gratulor laudabiles
Ausus tuos, quos Sancta fortunet Trias.
Certè pii est tractare, quæ tractat, piè,
Prudentis est concessa ritè tempora
Locare. Namque sic studia cum maximè
Tractantur, Hæcque manet brabeum debitum;

Quod de prop. gratulab. amico animo

Constantinus Ziegra / S.S.Th. Lic.
Coll. Phil. Adj.

Miros nature effectus, quos provida mater
edit, spectamus sæpius attoniti.
Tales plebs vulgi *miracula* credula dicit,
Quæ quid inauditum nescio quid referant.
Non ego diffiteor, quod sint *effecta stupenda*;
Non tamen ex mundo sunt reprobanda statim.
Nec qui *natura miracula* dixerit, errat:
Nature occultis viribus eveniunt.
Hinc cupidi penetrant isthæc arcana **MAGIÆ**
Cultores, causis omnia dantque suis.
Inter quos & Tu **MOLTZANE** merere referri,
ARTI dum **MAGICÆ** publica verba facis.
Gratulor hunc nisum! prosperrima quæque precatus
Auguror insignis culmen honoris eas!

ita ex animo vovebat

M. Martinus Lipenius, Gorzân
Brandenb. Marchicus.

Ligentem quondam *Nature Mysta* celebris
Rectè introduxit *Physicam* **SPERLINGIUS**, alio

G

Se

Se multis temni fastu, parviq₃ putari,
Cum tamen abstrusos mores, penitosq₃ recessus
Naturæ subeat, causas rerumq₃ latentes.
Ast ea luget adhuc, eadem quoq₃ fata subire
His se temporibus, proh! sub pedibusq₃ jacere,
Quæ tamen occulta naturæ sacra recludat
Mentibus humanis: Hos tu, MOLTZANE, refellis
Præsenti contemptores me letemate iniquos,
Quod satis ostendit, quam sit jucundum & amenum,
Invigilasse libris physicis, & querere causas.
Perge bonis avibus, vigil urge, digna brabea
Te comitabuntur: Sic optat pectore toto

PRÆSES.

Q Uod subis intrepidè certamina Palladis ampla
Aonidum lætat Pieridumque chorum,
Utque meret laudem, sic hæc assertio præsens
Ostendit curam sollicitam Sophiæ,
Turpes sperne moras, cursum properare studeto
Inceptum, dulce est tangere summa scopi.
Hinc MOLTZANE tibi bona fortis splendida virtus,
Virtuti largè præmia forsque dabit.
Felicem tibi successum in studiis precor, opto
Ut patri & patriæ musteus inde sies.

*Hæc Commensali Dno. Respondenti amico
suo L. M. Q.*

Hugo Münzbruch.

AD PEREXIMIUM ET PRÆSTANTISSIMUM
DOMINUM RESPONDENTEM.

E St aliquid bellare feri Mavortis in armis,
Sed magis est Phæbi castra decora sequi.

Spre-

*Spreto igitur sevo belli Martisq; furore
Pulpita Musarum non sine laude petis.
Hem! quem de capto hoc tibi non sperabis honorem?
Dum parat ipsa Clio neētere ferta Tibi.
Gaude ergo & semper promptis conatibus instā;
Sperantem nunquam deserit alma fides.*

gratulabundus
scr.

Johannes Laurentius à
Diethmersen Luneburg.

Quæ latebris *Verum* mergatur, quasq; dolosas
Sustineat fraudes, lachrymis ac voce misella
Teltari toties satagunt *concordis* amici
Veri; quam cladem quoque nos hac peste gravati
Sentimus vigiles doctorum scripta legentes;
Quippe coruscanti fulgore patentia acutis
Sensibus, assiduo tentant conamine nube
Obscurare, magis (notum est!) penetralia *Divæ*,
Naturæ maculant fucis, cum jura vetusta
Plus justo variant, falsoq; induta colore
Sub specie veri sistant, Satanæq; malignos
Effectus validis naturæ viribus ornent;
At *Moltzane* satistua disquisitio nobis
Quid valeant vires hujus quid ferre recusent,
Suppeditat; Quo circa tuis prosperrima fata
Accanto captis, Satanæ quò dogmata falsa
Denudare, jubarq; queas affundere *vero*.

*His paucis amico suo amice congratula-
batur.*

Otto Helle Lubecensis.

Quæ sint naturæ vires, *doctissime Amice*
Detegis, & magnâ dexteritate probas.

Perge

Perge tuo solers, quæso, conamine, perge,
Sic patriæ sis lumem honorque Tuis.

*Paucis hisce Præst. Dno. Respondenti Commen-
sali suo ac Amico fraterno gratulatur.*

Johannes Leo, Beyenfl. Hof.
SS. Th. Stud.

Bella moves? Nucleum næ cassa putamina falsi
Frangendo quæris. Clara Magia patet.
Sic sunt adversi tentamina tersa Sophista,
Ingenii fætu discutienda tui.

Ἐπιτύχων ἐπιπέρας

Gerhardus Wichman Lubec.

